

ducit AVGVSTINVS contra *Fauft. L. XVI. c. 29.* In his enim verbis sic vsurpamus vocem praeteriti, ut intelligamus actum etiamnum manentem. Sed enim, sive quis cum Vulgata, *sedent*, cum Vngar. KÁROL. *ülnek*; sive cum SCHMIDIO, *confederunt*, cum Bohem. Halae an. 1709. *posadili se*, res eodem redit: priores enim ad muneris possessionem, posteriores ad inuestituram respectum habent. De ritu ipso sedendi doctorum conferri potest antea allatus BVRMANNVS, *disput. V. & VIII. de Synagogis p. 78. & p. 79.*

§. VI. In sermone hoc enthymematico Christus ex assumptione, de qua haectenus, elicit consecutionem, & connectit vtramque per τὸ ἐν illatiuum. Vniuersalem eam esse, duae voces arguunt πάντα & ὅσα. Vtramque non expressit Arabs, per τὸ fakollama quicquid ergo, nec KÁROLI in Vngar. edit. Amstel. in 8. per τὸ a mellyeket. (Rectius in sec. edit. Hannouiana an. 1608. in 4. quae in Bibl. Vitemb. habetur, per τὸ valamellyeket.) Cauendum vero hic est, ne vel excedendo, vel deficiendo a tramite veritatis declinemus. Defectum falso nobis impropertat JANSENIUS, ipse vero, rei modum excedens, in alterum extremum prolabitur, dignus propterea, qui ab ipso MALDONATO, nostram sententiam approbante, ejus refutante, deseratur. Tantam enim amplitudinem orationis huius esse, contendit, vt existimet, Dominum etiam ea comprehendisse, quae, etsi essent inutilia, & nihil facerent ad pietatem, tamen legi divinae non erant contraria. Quonam tendant viri verba, aequo id iudici relinquo, constareque potest ex Form. Concord. p. 296. Nec enim solus, vel primus fuit, qui ita oraculum hoc explicaret. Neque multum abfuit ab hac mente ipse AVGVSTINVS, qui de Doctr. Christ. ait, Christum ideo hoc iubere, quia cathedra eos coegerit non falsam, sed veram tradere doctrinam. Sed rectius sentit BARRADIVS: